

- 2 tus ad suos transnavit. Ob hoc ei tantum agri publice datum, quantum uno die ambire <vomere> potuisset. Statua quoque ei in Vulcanali posita.
- 12 Cum Porsenna rex urbem obsideret, Mucius Cordus, vir Romanae constantiae, senatum adiit et veniam 5  
2 transfugiendi petiit necem regis repromittens. Accepta potestate in castra Porsennae venit ibique purpuratum  
3 pro rege deceptus occidit. Apprehensus et ad regem pertractus dextram aris imposuit, hoc supplicii a rea  
4 exigens, quod in caede peccasset. Unde cum misericordia 10  
5 regis abstraheretur, quasi beneficium referens ait trecentos adversus eum similes coniurasse. Qua re  
6 ille territus bellum acceptis obsidibus deposuit. Mucio  
7 prata trans Tiberim data, ab eo Mucia appellata. Statua quoque ei honoris gratia constituta est. 15
- 13 Porsenna Cloeliam nobilem virginem inter obsides accepit, quae deceptis custodibus noctu castris eius egressa equum, quem fors dederat, arripuit et  
2 Tiberim traiecit. A Porsenna per legatos repetita  
3 reddita est. Cuius ille virtutem admiratus cum quibus 20  
4 optasset in patriam redire permisit. Illa virgines puerosque elegit, quorum aetatem iniuriae obnoxiam sciebat. Huic statua equestris in foro posita.
- 14 Romani cum adversus Veientes bellarent, eos sibi hostes familia Fabiorum privato nomine depoposcit; 25  
2 et profecti trecenti sex duce Fabio consule. Cum saepe victores exstitissent, apud Cremeram fluvium castra  
3 posuere. Veientes ad dolos conversi pecora ex diverso